

Exultant; plausu Capitolia summa videres
 (Vatibus) ^(a) eximiis gestire ac poscere munus,
 Quod pretermissum longo iam tempore vates
 Unus in exemplum dedit hac etate Petrarcha.
 5 Voce retardatus tunc amnis lentior ibat,
 Intentus ^(b) captare novum sine murmure cantum,
 Quaque licet, ripis herens, sua lumina flectit,
 Pulchra revisurus celebris spectacula ludi.
 Vicini colles subiectaque collibus arva,
 10 Nunc ager incultus, quondam viridaria leta,
 Plaudebant; salit omne nemus, salit omnis aque fons.
 Alni procere ^(c) depressaque corpora dumii,
 Queque vegetantem vim quilibet accipit arbor,
 Vertice designat ^(d) letum fluitante labore;
 15 Et, que Traicio vati fuit ante potestas,
 Aerias volucres et nixa animantia terre ^(e),
 Que serpent et que gressu spatiantur aperto,
 Sistebant cantu, silvasque et saxa movebant ^(f)
 Omnia mirifico superantes ore poete.
 20 Qui postquam desiere, probant pari carmina Muse
 Consensu et proprium signant quod ^(g) constet in illis.
 Proxime, ut a rebus, que ^(h) se discriminare nullo
 Vel parvo superant, contentio protinus orta est,
 Nec tenet una omnes sententia; queritur inter
 25 Pierides horum quinam prestantior extet;
 Pars hunc, illa alium studiis preferre laborem,
 Conveniuntque inde ⁽ⁱ⁾ (omnes vel) pars maior in unum.
 Carminis a primo fuerat ludique decori
 Spectator nullam in partem diversus Apollo,
 30 Cui, vatum egregie modulantum dum stupet artem
 Insignemque notat tractandi ^(k) carminis usum,
 Exciderat plectrum; lyra ^(l) (tunc plectrum ipsa) secuta est.
 Hunc, quia sit cithare ^(m) princeps vocisque magister,

(a) *Lacuna.* (b) *B om.* *C intus* (c) *B proceres* *C perierte* (d) *B dessignat*
 (e) *Codd. fere o sere,* (f) *C movebat* (g) *B quid (qđ)* (h) *C qui* (i) *Lacuna.*
 (k) *B tractosoli (sic).* (l) *Lacuna.* (m) *C citharo*